& ver. Prædicare, num. 3. et ſequentibus.

34 ¶ Sexto, ſi aliqua priuilegiorum reſtrictio fuerat facta per predeceſſores ſuos Leonem, 10. Clementem. 7. & Paulum. 3. & Iulium etiã 3. per hoc priuilegium Paulus. 4. eam tollit. Vel ſi quomodo alicui ex priuilegiis fuerit derogatum vel illud fuerit caſſatum aut annullatum, mandat q habeatur pro infecto, et ſit nullius momenti talis reſtrictio derogatio, vel annullatio. Et vult Summus Põtifex, quod nullo modo iſtius priuilegii poſſit fieri derogatio, aut per clauſulas generales, niſi de verbo ad verbum huius priuilegij mentio facta fuerit. ¶ Hæc conceſſio eſt valde notanda quo ad illa verba: Ac cum quibuſuis irritatiuis, ãnullatiuis, caſſatiuis, etiam priuilegiorũ eorundem reuocatiuis, reſtrictiuis preſeruatiuis &c. Per que, ſi que priuilegia ante cõceſſa ab aliquo fuerunt caſſata, aut ãnullata, aut aliquo modo derogata ſunt per Paulum. 4. in priſtinum ſtatum & vigorem redacta et reſtituta. Illa vero quæ aliquo modo fuerant restricta per prædicta verba eorum tollitur restrictio. Qua propter ſi eſſet verum quod aliqui perperam intelligunt cõceſſionem illam & omnimodam poteſtatem Adriani conceſſam